



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

5. Sciendi curiositas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

IV. (d) Non frustra fingitur Prometheus ignem, tanquam animam, insensibili simulacro indidisse. Nam ut ignis est elementorum purissimum, subtilissimum, simplicissimum, actuosissimum; sic Spiritus seu animus hominis, est ab omni concreatione & compositione terrena remotus, purus, simplex, vividus, mobilis, & instar flammæ sursum enitens ad Conditorum suum, unde profectus est. Hinc de animis Maro Æneid. 6.

igneus est ollis vigor, & cœlestis origo.

Errat, inquit Origenes c. 19. de Opificio Dei, quisquis hominem carne metitur. Nam Corpusculum hoc, quò induti fumus, hominis receptaculum est. Mens ipsa neque tangi, neque comprehendi potest, quia latet intra hoc, quod videtur. Qui (homo) si delicatus magis & tener in hac vita fuerit, quàm ratio ejus exposcit: si virtute contempta, desiderijs se carnis addixerit, cadet & premetur in terram. Sin' autem ut debet, statum suum, quem rectum sortitus est, promptè constanterque defenderit; si terræ, quam calcare ac vincere debet, non servierit, vitam merebitur sempiternam.

In hunc sensum Horatius Sat. 2.

quin corpus onustum

Hesternis vitijs, animum quoque prægravat unâ,

Atque affligit humo divinæ particulam auræ.

Juxta veterem trochaicum:

O quàm homo contempta res est, se nisi supra homines erigat!

Egregiè Lactantius lib. 7. cap. 8. Solus ex omnibus cœleste ac divinum animal homo, cujus corpus ex humo excitatum, vultus sublimis, status erectus originem suam quærit, & quasi contempta humilitate terræ, ad altum nititur, quia sentit, summum bonum in summo sibi esse quærendum, memorque conditionis suæ, quâ Deus illum fecit eximium, ad artificem suum spectat. Vidit hoc ipsum Tullius 2. de Nat. Deor. Quæ (Providentia) primùm eos humo excitatos & erectos constituit, ut deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere possent.

V. Sed quid hoc sibi vult, quòd Jupiter virum de humano genere optimè meritum, vinculis constrinxerit, rupi alligavit, voraci volucri prædam objecerit? Nihil hîc attingam de physica hujus rei ratione (nam aliud institutum prosequimur) quòd Prometheus primus Astrologiam Assyrijs indicavit: siderum ortus & occasus in monte altissimo Caucasu diligenter observavit: quòd ad hanc rem ingenio duce, hoc est, Mercurio

(d) *Humanis nobilitas.*

Mercurio sit usus: quoddam celestem ignem credatur suffuratus, dum primus rationem fulminum hominibus explicavit: quoddam aquilam perpetuo arrodentem paverit, dum multiplices curas, sollicitudines, vigilias, & incubationes suscepit in indagando *Verò*, quibus laboribus viri docti impallescent & emaciantur. Nam Ecclesiaste teste c. 1. *qui addit scientiam, addit & laborem.* Hæc, inquam, Physiologis relinquimus. *Ethicè* significant, nimiam sciendi curiositatem abesse debere à sapientiæ studio. (e) Si Prometheus ingenium intendere voluisset, potuisset ignem in filice reperire, ut non fuerit necesse cælum invitis superis conscendere, & ad solis usque rotam penetrare. Monet Siracides: *Altiora te ne quaesieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* cap. 3. Et Salomon Prov. 25. *Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* Extat hac de re elegans emblemata apud Alciatum, inscriptum: *Qua supra nos, nihil ad nos.* Imago est aquilæ jecur Promethei exedentis; versus hi additi sunt.

Caucasæa aeternum pendens de rupe Prometheus,

Diripitur sacri prapetis ore jecur.

Et nollet fecisse hominem, figulúmque perosus,

Accensam raptò damnat ab igne facem.

Roduntur varijs prudentum pectora Curis

Qui Cœli affectant scire, Deumque vices.

Torquetur hoc, inquit Claudius Minos emblematis explicator, maxime in Philosophos, & Astrologos, qui vulgò *Judicarij* nominantur, qui, quæ Deus voluit homini esse tecta, perquirunt anxie, & misere se conficiunt. Sed quid explanationis habet Hercules aquilam interficiens? Solam scilicet speculationem parùm prodesse, nisi accedat actio, quæ per manum jaculantis Alcidis denotatur. Pierius lib. 36. c. 21. ex Luciano refert, Prometheum ea lege perpetuis vinculis à Jove solutum, ut memor commissorum annulum è lapide rupis (cui alligatus fuerat) & ferro compactum gestaret. quod est Symbolum ulticis conscientiæ, quæ instar circuli digito inditi stringit & arctat, ac quasi monet & vellicat.



D 2

SYM.

(e) *Sciendi curiositas.*